



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 11. Varijs modis, sed maximè inuocatione Sanctos honorari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

§. XI.

*Varijs modis, sed maxime inuocatione Sanctos
honerari.*

Hanc consecrationem alij deinde, atque Sabelli
alij sequuntur honores, imagines, aræ, ora- l. 10, c. 14.
toria, sacella, templa, festi & solennes dies,
ieiunia, vigiliæ, & omnifariâ factæ ceremo-
niæ, quas Christo regi, & sacratissimæ eius
militiæ decernit humana pietas; quæ tantò
sunt ceteris honoribus, qui in terris decer-
nuntur, maiores sanctioresque, quantò san-
ctior illorum fuit vita, quàm reliquorum
hominum, qui omni æu floruerunt. Tem-
pla Sanctis erecta, testantur Romæ Basili-
ca D. Petro in Vaticano & Ostiensi via, &
altera D. Paulo, vtraque immani amplitu-
dine & apparatu visendo consecrata, item-
que tertia Lateranensis Ioanni Baptistæ; &
quarta Pantheon antea dicta, postea DE I
Matri Mariæ, aliæque alijs Diuis, & Ro-
mæ, & vbique gentium & terrarum dedi-
cata. Neque sanè festa Sanctorum aliò re-
spiciunt, quàm vt ijs diebus præcipua qua-
dam veneratione colantur, enimuerò, vt
tamquam patroni & aduocati nostri inuo-
centur. Quod à nobis faciendum esse, an-
tiqui PP. Nectarius, Ephræm, Nazianze-
rus,

nus, Nyssenus, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, & posteri omnes suo exemplo docuerunt; quem cultum Ecclesia & usu, & doctrina semper approbavit; nec sine insigni fructu. Quot enim & quanti, per huius, aut illius Sancti inuocationem & patrocinium iam morbos corporis; iam animi molestias ac tentationes; iam lumen intellectus; iam donum sobrietatis vel castitatis impetrauerunt? Pendent in templis anathemata; loquuntur tabellæ; nos ipsi quot vidimus, audiuius, Sanctorum ope, è flammis & fluminibus, è peste, è carcere ereptos? vt negare experientias tam claras, sit lumen solis meridiani velle extinguere. Certè inuocari Sanctos in hac vita existentes & piè, & vtiliter, ostendit D. Paulus, quando scripsit: *Orationi instate, orantes simul & pro nobis: iterumq;: Fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos.* Quod si Sanctos licet inuocare in hac vita existentes, idq; & pium, & vtile est, & fit exemplo Pauli, cur non liceat, & vtile sit, inuocare item & Sanctos cum Christo regnantes? aut cur eorum oratio sit minùs efficax, quàm eorum, qui adhuc in hac vita peccare, & Deum offendere possunt?

Coloss. 4. *quando scripsit: Orationi instate, orantes simul & pro nobis: iterumq;: Fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos.*

2.

2. Theff.

3. 1i

sunt? Orare autem & defunctos pro viuis, ostensum est Machabæo. *Erat autem huius-* 2. Mach.
15. 12.
cemodi visus: Oniam qui fuerat summus sacer-
dos, virum bonum & benignum, verecundum
visu, modestum moribus, & eloquio decorum,
& qui à puero in virtutibus exercitatus sit, ma-
nus protendentem, orare pro omni populo Iudæo-
rum: Post hoc apparuisse & alium virum, etate,
& gloria mirabilem, & magni decoris habitudi-
ne circa illum: Respondentem verò Oniam di-
xisse: Hic est fratrum amator, & populi Israel:
hic est, qui multum orat pro populo, & vniver-
sa sancta ciuitate, Ieremias propheta Dei. Ex-
tendisse autem Ieremiam dexteram, & dedisse
Iudæ gladium aureum, dicentem: Accipe san-
ctum gladium munus à Deo, in quo deicies ad-
uersarios populi mei Israël. Potuit Onias, po-
tuit Ieremias orare pro populo, cur alij non
possunt? Hanc opinionem communem
fuisse, apud Iudæos, etiam Christi tempo-
re, illa confirmant, quòd, cùm Seruator
noster in cruce clamaret: Eli, Eli, lamma Sa- Matthæi
27. 46.
baëtani, quidam illic stantes & audientes, vti-
que ex consuetudine inuocandi sanctos, di-
cerent: Eliam vocat iste, itemque, sine, vi-
deamus an veniat Elias liberans eum. Non di-
xerunt, quid Eliam vocat? Elias non audit,
 gratis

gratis ergo eum vocat: nec dixerunt, Elias non potest eum liberare; sed, *videamus, an veniat Elias, & liberet eum.* Crediderunt ergo, eum, si vellet, posse; an autem liberaturus esset, dubij fuerunt. Inuocemus igitur & nos quotidie Sanctos in cælo existentes, dicamusq; *S. Maria, ora pro nobis: S. Michael, ora pro nobis: S. Ioannes Baptista, ora pro nobis: S. Petre, ora pro nobis: omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis &c.* Ita honoramus, quos inuocamus, tamquàm potentes succurrere.

§. XII.

Contra inuocationem Sanctorum quàm infirma argumenta afferantur?

Neque sanè hic honor Sanctis exhibitus, est Deo iniuriosus. Si enim S. Paulus Deo non intulit iniuriam, quando Sanctis in terra scripsit: *orationi instantes, orantes simul & pro nobis;* cur iniuriam inferat is, qui Sanctis in cælo existentibus dicit: *orate pro nobis?* At Deus vult solus adorari? quid tum? an inde conficitur; Ergo non licet inuocare Sanctos in cælo? Si hoc rectè colligitur, rectè etiam colligetur: Ergo non licet inuocare Sanctos in terra. Atqui hos licet cum Paulo, ergo & illos licet inuocare. Neq; re-
ctius

Coloss.
4. 2.